DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

CYNANCHE TRACHEALI

CONTINENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS MURDOCH,

Scotus.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXVIII.

VIRO PRAECLARO,

ALEXANDRO MONRO, M.D. S.R.E. S.

ANAT. ET CHIRURG. IN ACAD. EDINENSI,

PROFESSORI,

NECNON

REG. COL. MED. EDIN. SOCIO, &C. &C.

OB BENEFICIA IN EUM COLLATA,

DISSERTATIONEM INAUGURALEM HANCCE,

QUAM

STATUTA SOLENNIA ACADEMIAE LAUDANDA

EXIGUNT,

OBSEQUIO QUO PAR EST OMNI

EXISTIMATIONEQUE,

OFFERT ATQUE CONSECRAT

GULIELMUS MURDOCH.

ERRATA

Inter legendum calamo corrigenda.

P. 4, lin. 3 a capite, *pro* tetegit, *lege* tetigit.
——, — 5 a calce, *pro* haecce, *lege* hacce.
— 11, — 10 a capite, *pro* debiliore, *lege* debiliori.
— 12, — 7 a capite, *pro* habenda est, *lege* habendum est.
— 13, — 12 a calce, *pro* sanguis, *lege* sanguinis.
— 14, — 6 a capite, *pro* pulvuresque, *lege* pulveresque.
— 16, — 10 a calce, pro *Trachealis,* lege *Tonsillaris.*
— 20, — 11 a capite, *pro* 6. Cynanche Trahealis Nothae,
lege 6. Cynanche Trachealis Notha.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

CYNANCHE TRACHEALI

CONTINENS.

AUCTORE GULIELMO MURDOCH.

PROÖEMIUM.

INTER morbos quibus infantes impuberesque obnoxii vivunt, ille de quo, privilegia honoresque summos in medicina rite ambiens, mihi animus est pauca disserere, periculosissimus, ni fallor, jure habendus est. Intra etenim biduum post impetum factum, exitium laboranti saepius affert; verbo *Croup* Anglicè cognoscitur. Scriptores attamen medici diversi nomina diversa ei indiderunt.

*Cynanche Trachealis,** Sauv. Sp. 5, et Cull.

Cynanche

* *Cynanche,* error, ni fallor, nominis Cynanchen etenim, Anglice *Dogchoak,* in locum Synanchis (συν cum et αγχειν

Cynanche Laryngea auct. Eller, De Cog. morb.
Anginae Inflammatoriae, Boer. Sp. 1.
Angina Latens et Difficilis, Dodon, Obs. 18.
Angina Interna, Tulp. lib. 1, Obs. 5.
Angina Canina, Zacut. Lusit.
Angina Perniciosa, Greg. Horst. Obs. lib. iii.
Suffocatio Stridula, Home on the Croup.
Asthma Infantum, Miller on Asth. et Chincough.
Asthma Infantum Spasmod. Rush, Lond. 1771.
Cynanche Stridula, Craw. Diss. In. 1771, et Parr.
Angina

Angina) perperam substitutam fuisse, suspicor; etiamsi nosologi antiquiores speciem generis Synanchis singularem verbo hocce postea designasse videntur. Rem ita sese habuisse Celsum, et scriptorem medicum nitidissimum et testem fide dignissimum, habemus.

"Nostri Anginam vocant; apud Graecosn omen prout species est. Interdum enim neque rubor neque tumor ullus apparet; sed corpus aridum est, vix spiritus trahitur, membra solvuntur; id συναγχην vocant. Interdum lingua faucesque cum rubore intumescunt, vox nihil significat, oculi vertuntur, facies pallet, singultusque est, uti συναγχη vocatur. Illa communia sunt; aeger non cibum devorare, non potionem potest, spiritus ejus includitur. Levius est ubi tumor tantummodo et rubor est, caetera non sequuntur; id παρασυναγχην appellant." Vide Celsus, lib. iv, cap. iv.

Quin et Galenus ad eandem rem aperte docet, "Sive Synanchen dicere volueris, sive Cynanchem vel alterum quidem Synanchem, alterum vero Cynanchem, sive utrumque Synanchem vocaveris, duas Synanches sciveris esse rationes." Vide Op. Gal. tom. 6, p. 324.

Angina Epidemica, Molloy.
Morbus Strangulatorius, Starr.
Morbus Truculentus Infant. Fracast.
Catarrhus Suffocativus, Hillary.
Angina Inflammatoria Infant. Russel.
Angina Polyposa, sive Membranacea Michaelis Argentat. 1778, et auctor ei citati.
Expectoratio Solida, Darwin.
Cauma Bronchitis, Young.
Empresma Bronchitis, Mason Good.*

Natura morbi, de quo fusius locuturus sum, antiquiores, ni fallor, omnino latuit;† scriptoresque medici vel pauci vel nulli, ante seculum proximum medium, eum apertius notaverunt. Gregorius autem Horstius, supra citatus, qui aevi prioris sub initio

* Morbum de quo disserturus sum, nomine *Hives* medici Americani cognitum habent. Verbum vero *Hives* originem a nisibus musculorum abdominis thoracisque, et violentis et pectus attollentibus (Anglice *heaving*), qui, morbo hocce saeviente, sese ostendunt, forsitan duxit.

† Sauvagesium auctorem, inter scriptores nosologicos, haud parvi quidem nominis, *Synanchen* Graecorum medicorum, vim eandem ac Cynanchen Tonsillarem nostram. *Parasynanchen* ac Cynanchen Pharyngaeam habuisse, *Cynanchen* vero eorum, Cynanchen nostram Trachealem ipsissimam fuisse opinione augurari compertum quidem habeo, an perperam necne peritiores judicent.

initio florebat, speciem Cynanchis hancce, ne luculenter quidem, descripsit, eandemque, ut supra, at obiter sane leviterque tetegit. Quin et, aut de hoc morbo aut de quodam alio ei simillimo, BOERHAAVIUS sermonem habet, verbisque hisce utitur: "*Vox acuta, clangosa, sibilans inspiratio, acute dolens, respiratio parva, frequens, erecta, cum summo molimine.*"*

GHISI necnon medicus Italicus, cui ante oculos morbus noster Cremonae, annis 1747-48, epidemice grassans versabatur, eum in tabulas retulit. Malumque de quo tractatur, et in regionibus Europeae septentrionalibus, et in America, STARR, BERGIO, ut supra, eodem fere tempore descriptum, habemus. Scriptores alii medici diversi, FRANCISCUS HOME, nuper defunctus, Professor, nimirum, in Academia haece jure celeberrimus, qui hunc morbum primo luculenter descripsit, CULLEN, MICHAELIS, SCHWILGEUS, ROYER COLLARD, CHEYNE, et alii, in affectionem morbosam hancce nuperius animadverterunt.

MORBO

* BOERH. Aphor. 801.

MORBI DEFINITIO.

Auctores diversi supra memorati morbum nostrum obscurius clariusve definiere; prae definitionibus veruntamen omnibus aliis, illa Culleno nosologorum omnium facile principi data, mihi longe longeque arridet, ideoque eam in medio ponere lubet.

"*Cynanche (Trachealis) respiratione difficili, inspiratione strepente, voce rauca, tussi clangosa, tumore fere nullo in faucibus apparente, deglutitione parum difficili, et febre synocha.*"*

MORBI HISTORIA.

Cynanche Trachealis impetum in aegrum vel intemperiei aëris nuperius objectum, vel catarrho levi per aliquot dies affectum vesperi, plerisque in exemplis, facit. Vox et rauca et querula primo evadit, aegrotusque languore et inertiâ laborat; aegrotans, veruntamen, malo parum obstante, tempore

† Vide Gener. Morb. p. 94.

pore solito dormitum sese confert; tussi vero insolita, acuta, clangente, faucesque fere oblidente correptus subi o expergiscitur. Animam nunc aegre trahit, inspirationes saepius, post tussim potissimum, cum sibilo facit. Vultus ei tumet atque rubore suffunditur, oculi et tumidi et sanguine suffusi fiunt, aegrotusque in vitae discrimen strangulatione venit; cutis calor augetur, aegerque plus minusve anhelitu laborat; inspirationibus nec non difficilibus, sonum cantûs galli admodum referentibus, tussique clangente morbi hujusce propriâ gravius adhuc opprimitur; causâ levamen obtinendi, aut expuere tentat, aut e lecto surgit; sputo autem ejecto, situque corporis mutato, aegrotanti miserando neutiquam succurritur. Mala usque ad alteram lucem, plerisque in casibus, hoc modo vel perstant, vel etiam ingravescunt; tunc autem temporis allevationem quandam forsitan subeunt; aeger spiritum paulo facilius trahit; signa autem nequaquam prorsus sublevantur. Pyrexia etenim tussisque adhuc urgent; lingua et alba et sordida evadit; vultus, gradu morbi primo floridus, colorem purpureum nunc induit; citiusque et pallore et etiam livore offunditur, aeger nec non vires morbi violentiâ

prorsus

prorsus fractus, haud raro die secundo, saepius autem tertio, quarto, quintove, mortem oppetit.

Verumenimvero, aegro per dies complures morbo tentato, aegritudinem, quibusdam in casibus, sese remittere, respirationem facilius exerceri, aegrotantem et cibum appetere, et ludis solitis operam dare, omnesque de eo bene sperare; spem autem eventu corrumpi, malumque laboranti exitio esse, transitu videlicet spiritui subito denegato, faciem et tumere et colorem lividum nanscisci, parvulumque nervorum distentionibus correptum, animam efflare, sunt qui nos docent.

PHENOMENA QUAE, CADAVERIBUS CYNANCHE TRACHEALI PEREMPTORUM INCISIS, IN LUCEM PROD EUNT.

Phenomena quae, cadavere affectione hacce mortui secato, in conspectum veniunt, ad morbi historiam revera pertinent, ideoque ex his quaedam hic loci in medio ponenda sunt.

Cadaveribus

Cadaveribus eorum quos morbus, de quo disceptatur e medio sustulit, scalpello patefactis, membrana sufflava mollis, tubique formam sibi vindicans, anatomico ante oculos, vel fere vel semper versatur; membrana autem haecce interdum partem asperae arteriae superiorem intrinsecus investit; interdum vero, et faciem canalis hujusce internam totam, et etiam vasa pulmonum aerifera intus cingit.

Quin et, materia quae tubum huncce format, tenacitatem spissitudinemque, variis in casibus, multum variat. Mucum viscidum aliquando refert; aliquando veruntamen, corium densum tenaxque constituit, tenacitasque diversa quae in eo inest, a morbi diuturnitate violentiaque, ni fallor, pendet.

Porro, tubo huicce denso eadem crassitudo ne semper quidem est; nunc etenim pertenuis existit, nunc vero tam crassus evadit, ut et tracheae et bronchiis pulmones permeantibus vel fere vel prorsus officiat. Membrana haecce vasorum omnium expers est, colore albo plerumque gaudet; nonnunquam autem vel subnigra vel subfusca est,

non-

nunquam etiam maculis obsidetur.

Quin etiam, inter corium hocce tunicamque, et asperae arteriae, et bronchiorum, internam, (e qua facile separari potest; quippe quae sibimetepsis, vix ac ne vix quidem, invicem adhaereant,) vel serum vel sanguinis cruor, vel etiam mucus, interdum hospitatur, membranisque hisce arte disjunctis, illa fluida in conspectum veniunt.*

Trachea, denique, bronchiisque morbo hocce extincti incisis, facies eorum interna inflammationis vestigia saepius, ulcera vero nunquam ostendit.

Cadavera eorum qui morbo nostro periere, speciem externam eandem, perinde ac, si vita strangulatione extincta fuisset, prae se ferre, insuper observandum est; labia faciesque livent, oculi et tument, et sanguine suffunduntur. Rem ita sese habere

* Mucus effusus concretusque, in aspera arteria paratus per bronchiorum omnium itinera extendit; quatenus saltem anatomici oculi vestigia ejus sequi possunt.—Vide HOSSACK, Med. et Philos. Regist. tom. ii, p. 41.

habere, mirum nobis videre non debet; morbo etenim hocce correpti, haud secus, ac aqua submersi, funeve strangulati, ex eadem causa, sanguine videlicet ob transitum per pulmones ei impeditum, viribus vitalibus orbato, vitam amittunt.

CAUSAE.

1. CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Infantes impuberesque morbo huicce obnoxii vivunt, aetateque impubi peracta, malum aut rarissime aut nunquam sese ostendit. Larynx, ineunte aetate, arctus, debilisque firmitatem idoneam ne adhuc quidem consecutus est. Hinc ratio patet quamobrem, vox et imbecillis et quasi foeminea evadit. Quin et, si quando maturitas festinata impubi fuerit, vox fit et gravis et virilis, larynxque magnitudinem insolitam adipiscitur.

Phenomena haecce in animo rite pendens, facile adducor, ut proclivitatem ad morbum nostrum

trum ex iis petam; magnitudine vero roboreque laryngis, tracheae, tuborumque bronchialium, sub aetate pubera, rite evolutis, aetas adulta vel fere vel prorsus hoc malo immunis fit.

Hisce igitur propositis, asperae arteriae debilitatem pro causa Cynanchis Trachealis praedisponente praecipua jure habendam esse, ne anceps quidem haereo, tracheamque ob vires firmitatemque majores, quae, aetate impubere peracta, in ea insunt, ad irritationes quae organo debiliore damno promptius forent, arcendas, plerisque in exemplis satis valere, animus mihi neutiquam pendet.

Quin in aetate adulta, trachea inflammatione interdum tentetur, non inficias equidem ibo; hisce attamen in casibus, inflammationem in tonsillas impetum primum fecisse, dein in laryngem tracheamque sese diffudisse, memet ipsum persuasum habeo. Porro, temperamentum sanguineum, corporis constitutionem plenam, catarrhum diutius perstantem, morbillos, pertussimque, corpus huic morbo proclivius reddere, facile agnosco.

2. CAUSAE

2. CAUSAE EXCITANTES.

Cynanche Trachealis causam excitantem manifestam nullam interdum agnoscit, impetumque facit in infantes, qui valetudine integra fruuntur.

Frigus veruntamen corporis faciei externae adhibitum, cum humore potissimum conjunctum, pro causa morbum excitante frequentissima potentissimaque jure habenda est. Rem ita sese habere, vix ac ne vix quidem, me judice, dubitari potest; morbus etenim signis iisdem ac catarrhus in aegrum invadit; annique tempestatibus quibus, caloris frigorisque vicissitudines, vere videlicet finemque autumni versus, et frequentes, et subitae obveniunt. Frigus autem ad hunc morbum excitandum, magis valebit, si quando corpori calefacto admoveatur, humorque simul adjuvet.

Hinc ratio patet, quare infantes puerique sub dio pluvioso ambulantes, ludisve sese exercentes, in malum de quo agitur, promptius incidunt.

Verumenimvero, frigus sive per se, sive cum humore conjunctum, regionibus omnibus ad hunc

morbum

morbum inducendum, neutiquam aeque valet, affectio etenim haecce morbosa, locis in quibusdam prae aliis, endemice grassari videtur. Regionibus pluvialibus, uliginosis et humidis, oppidisque prope littora sitis, utpote saevit. Ratio autem quamobrem frigus summo corpori adhibitum, ad Cynanchen Trachealem excitandam, tam fortiter valeat explicatus faciles, me judice, habet. Corpore etenim frigori humorique exposito, sanguinis cursus a summa cute promptius avertitur. Cutisque ipsa, eadem ex causa, parcius transpirat, ac ad valetudinem prosperam tuendam, revera necessarium est; quo autem minus sanguis in summum corpus distribuatur, eo plus in partes quasdam internas derivetur oportet.

In hoc statu rerum, vel tunicam canalis alimentarii internam, vel membranam asperam arteriam investientem, prae partibus corporis internis aliis, legibus oeconomiae animalis quibusdam, quae sane me prorsus latent, fluida petunt, superficiesque hasce male irritant; illaque sese morbose habente, aeger modo diarrhoeâ modo enteritide corripitur; hac autem laborante, nunc catarrhus nunc Cynanche Trachealis sese ostendit.

Hisce

Hisce propositis, sequitur, ut frigus sive per se, sive cum humore junctum, corpori potissimum calefacto, applicatum, pro causa morbi nostri remota potentissima habeatur oportet. An autem causae excitantes aliae quaedam, piscium videlicet ossicula in faucibus inhaerentia, fumi acres pulvuresque diversi, ad Cynanchen Trachealem concitandam plus minusve unquam conferant, necne, peritiores judicent.

3. CAUSA PROXIMA.

Quod ad causam morbi hujusce proximam quidem attinet, auctores medici de ea pariter ac, de causis morbos alios continentibus, multum inter se dissident atque dissentiunt; at nec animus est mihi, nec quidem per otium licet, in arenam descendere. Phenomena igitur morbosa, quae mihi ante oculos iterum iterumque versabantur, in tabulas referre sufficiat, propterea quod, causa morbi proxima hisce ex phenomenis procul dubio petenda est.

Membrana laryngis tracheaeque mucosa, inflammatione in hoc morbo certo certius corripitur;

tur; eaque de causa, organorum horum musculi spasmis laborant; lympha quae e canalis hujusce folliculis exudat, concrescens membranam faciem asperae arteriae internam investientem constituit. Mucus folliculis hisce secretus, indolem pravam induens, et sanguinis defaecationi male obstat, et sensorii debilitatem gignit, et etiam suffocationem mortemque denique inducit.

Hisce propositis, sequitur, ut actio vasorum praeter modum aucta; lympha effusa; dyspnoeae species singularis, morbi hujusce propria; sanguinis colore venoso praediti circulatio; sensorii debilitas, saepissimeque mors, sese morbo huicce diro comites praebeant.

DIAGNOSIS.

Signa morbi hujusce diagnostica, ne semper quidem in aperto sunt, medicusque in natura mali judicanda, ob similitudinem inter gutturis morbos magnam, in errore versari facile potest.

Morbus

Morbus, de quo disceptatur, Cynanchen vel tonsillarem vel etiam malignam, socium interdum habet, modo quo decretu difficile fiat, uter morbus primarius habendus sit; ratione veruntamen ad symptomata morbi nostri pathognomonica, ad *inspirationem*, videlicet, *sibilo strepentem, vocem raucam, tussimque clangosam,* rite habita, diagnosin veram deducere, medicum, plerisque in exemplis, penes erit.

Verumenimvero, morbi quibus cum Cynanche Tracheali signorum quorundam consortium est, *Catarrhus, Pertussis, Cynanche* vel *Trachealis,* vel *Maligna, Asthmaque infantum,* enumerari veniunt, eaque de causa, de utroque horum pauca in ordine disserere pergam.

CATARRHUS.

In historia morbi supra tradenda, catarrhum lenem viam ei saepius sternere, satis ostendi. Hinc ratio patet quare, Cynanche Trachealis typum catarrhi verum sub initio haud raro induit, modo quo cognitu perdifficile sit, uter morborum aegrum sane detineat. Morbo veruntamen progrediente,

progrediente, signa utriusque propria promptius sese ostendunt, diagnosinque statuere, penes medicum certius erit. Cynanche etenim Trachealis aëris inhalatione cum sibilo strepente, asperitate vocis insigni, tussi clangente, facie nec non tumidissima, coloreque plumbeo sese induente, naturam suam propriam in lucem profert; catarrho autem laborantes signis hisce aut nunquam aut rarissime opprimuntur.

2. PERTUSSIS.

Pertussis Cynancheque Trachealis in aetate tenera impetum plerumque quidem faciunt; caeteroquin autem, hi morbi inter se prorsus discordant atque discrepant. Pertussis etenim e contagio proprio originem ducit, contactu plerisque in exemplis inquinat; aegros paroxysmis tentat; accessiones ne diutius quidem perstant; temporibus inaequalibus redeunt, aegerque in intervallis sanitate solita fruitur.

Quinetiam, tussis, musculis abdominis convulsis, pertussi laborantes quatit, et sensum suffocationis quidem gignit, tussique hacce sese pau-

lisper intermittente, aegrotus, remissionibus fere nullis interpositis, spiritum sono pleno iteratoque haurit. His igitur signis, quae pertussi propria sunt, rite consideratis, quaestio de diagnose inter hanc, morbumque de quo sermonem in hoc libello habemus, ne dura quidem est.

3. CYNANCHE TONSILLARIS.

In affectione morbosa hacce, et tonsillae et lingua multum tument; deglutitio, liquorum utpote, et difficillima et etiam dolentissima evadit, glandulae salivam secernentes in motum abnormem cientur, salivaque, copiâ nimia secreta, ex ore profusius distillat.

Quin et, Cynanche inflammatoria robustos sanosque, aetate adulta, vel semper vel plerumque adoritur, aegrotusque tussi parum vexatur. Medicus igitur, causâ morbum tonsillarem a Cynanche Tracheali dignoscendi, ad signa haecce illi propria, rationem habeat.

4. CYNANCHE MALIGNA.

Morbum de quo tractatur speciem Cynanchis

hancce

hancce atrocem comitem interdum habere, sunt qui nos rite docent: signa autem hujus propria, febris scilicet typhoides; ulcera faucium mala, aliquando livida, aliquando nigrantia; spiritus foetidus; coryza nares labiaque erodens; facies corporis externa, die a morbi initio secundo tertiove, papulis efflorescens, Cynanchis malignae indolem satis superque demonstrant; inflammationem veruntamen ulceraque a tonsillis ad laryngem tracheamque nonnunquam serpere, medici quidam experti nos certiores faciunt, duasque Cynanchis malignae species, *Cynanchen*, videlicet *malignam Tonsillarem*, et *Cynanchen malignam Trachealem* in tabulas relatas habemus.*

5. ASTHMA INFANTUM ACUTUM.

Species asthmatis haecce similitudinem cum Cynanche Tracheali insignem procul dubio agnoscit, eaque de causa, haec ab illa difficilius distinguenda est. Ratione veruntamen ad signa nunc enumeranda rite habita, differentiam inter affectiones hasce morbosas statuere, penes medicum facilius erit.

Asthma

* Vide Johnston, on Putrid and Ulcerous Sore Throat.

Asthma infantum acutum nunquam endemice grassatur. Cynanche vero trachealis regiones quasdam prae aliis infestat. Quin et, asthmate acuto laborantes tussis, aut lenius, aut ne omnino quidem, quatit, collum nunquam dolet, paroxysmi penitus intermittunt, aegrique diutius morbo immunes evadunt ; accessione durante, urina limpida copiosius effluit, cadaveribus necnon peremptorum incisis, membrana faciem laryngis tracheaeque internam investiens, in conspectum nunquam venit.

6. CYNANCHE TRAHEALIS NOTHAE.

Est et affectio morbosa quaedam alia, morbo nostro profecto cognata, ideoque nomine Cynanchis Trachealis Nothae (Anglicè *Spurious Croup*) describenda, asthmati aetate adultorum admodum similis, quam a Cynanche Tracheali vera, sedulo distinguat medicus oportet.

Cynanche Trachealis Notha, signis multis morbosis antecedentibus, impetum subito facit ; aegrotus anhelat, eodemque tempore haud secus ac Cynanche vera laborans, tussi clangente corripitur ; tussi autem urgente, mucus viscidus, nec fauces

nec

nec os, Cynanchis Trachealis verae instar, obsedit. Morbo perstante, vultus aut minime aut ne omnino quidem mutationem subit. Paroxysmosque tussis inter, agitatio motusque corporis abnormes qui Cynanchi Tracheali verae, vel plerumque vel semper, sese comites praebent, nobis ante oculos neutiquam versantur.*

PROGNOSIS.

Cynanche Tracheali aegrotantis periculum summum capiti, plerisque in exemplis imminere, usus experientiaque nos satis superque docent, eaque de causa, eventus jure timendus est, aegrotus etenim saepius in extremis est, ante medicus quam malum ullum grave suspectum habet, morsque ex improviso frequentissime ingruit, dum aeger in bona spe est.

Porro, stadium morbi primum, stadium, videlicet, inflammationis aciem medici oculorum interdum eludit, minimeque patefactum transit; quandoque

* Vide Hamilton on the Diseases of Children.

doque autem morbus invaluit, prius aegrotanti quam succurritur, in periculo summo parvulus versatur.

Verumenimvero, si ad remedia debita rite matureque, morbo nimirum in limine adhuc existente, decursum fuerit; si pyrexiae signa mitigationem subierint, aegerque spiritum et facilius et tardius traxerit; si aeger aut alvi profluvie leni exercitatus fuerit, aut mucum cum frustulis membranaceis commistum excrearit. Si arteriae fortius, potius, ac debilius micaverint, si tussis necnon minus arguta evaserit, voxque naturalis facta fuerit, aegrotoque eodem tempore ad tussiendum mucumve expuendum praestante, faustum eventum ominare liceat, etiamsi semper causa sit, quamobrem medicus spe fluctuet oportet.

Sin autem aspera arteria animam e pulmonibus difficilius excipiat, eandemque cum labore et respirat et reddat; si aeger anxietate magna inquietudineque insigni opprimatur, calorque febrilis multum increscat; si pulsus arteriarum multum vacillent, faciesque rubore suffundatur, labia-

ve

ve colorem lividum induant, si vox sonum argutum edat, tussisque stridula aegrotanti molestiis sit, eo in angusto magis spes est.*

Denique, si arteriarum pulsus etiamsi frequentes, pleniores validioresque evadant, spiritus facilius trahatur, tussis fortior fiat, aegerque tussiendo corium nothum expuat, signis gravioribus levamen quoddam eodem tempore subeuntibus, medicum voti compotem citius fieri, sperandum est.

Symptomata veruntamen mirum in modum sese haud raro remittere, membranam magna ex parte rejectam fuisse; at morbum lethi fabricatorem cito inopinateque fieri, in memoriâ rite tenendum est. Pars, nimirum, tubi nothi parum expulsa, a tra-

* Apertura rimave glottidis, aetate adulta transitûs hujusce magnitudinem in aetate impubera bis tanto aequat. Hinc periculum suffocationis summum ob rimae, ne modum sesquilineae saepius quidem latitudine transeuntis angustiam, parvulis hoc morbo laborantibus certo certius imminet. Vide Richerand, Elemens de Physiologie, chap. ix. Vide etiam Baillie's Morbid Anat. fasc. ii, tab. 2.

a tracheae facie interna forsitan soluta, ideoque in respirationibus plenis valvulae munere fungens, canalem asperae arteriae claudit, suffocationemque inducit.

Cynanche Trachealis notha remediis debitis in auxilium rite matureque vocatis, exitium laborantibus rarissime affert.

RATIO MEDENDI.

In morbo huicce medendo medicus principiis obstare conetur oportet, morbi etenim vel pauci vel nulli sunt, ad quos sanandos consulto festinatoque magis opus est; remediis namque in auxilium tempestive vocatis, aegro saepius feliciter succurritur; sin vero mora male injiciatur, morbus adeo ingravescit, ut ars medica ad eum profligandum nihil omnino valere possit.

In stadio Cynanchis Trachealis primo, indicatio curatoria una solummodo medici attentionem summam

summam sibi vindicat, actionem scilicet, membranae et laryngis et asperae arteriae mucosae praeter naturam morboseque auctam cohibere, ne corium falsum, faciem arteriae asperae internam male investiturum formetur, medicus, summis viribus, nitatur oportet. Causâque indicationem hancce absolvendi, auxilium e remediis diversis, quae ad reactionem vasorum quam primum compescendam, gradu majore minoreve valeant, petere debet. Hinc ratio patet quare ad *balneum calidum*, ad *sanguinem detrahendum*, ad *usum emeticorum catharticorumque, submuriatis hydrargyri potissimum*, ad *vesicatoria*, remediaque alia hujuscemodi pedetentim confugiendum est.

1. BALNEUM CALIDUM.

In Cynanche Tracheali succurrenda, medici haud pauci experti post impetum primum factum, ad remedium hocce statim confugiunt. Morbo etenim invadente, parvulum vel dolio aquae ad gradum Fahrenheitiani nonagesimum et sextum calefactae pleno illico immergunt, vel in stragulo ex aqua calefacta compresso eum involvunt. Infans in balneo per horae quadrantem maneat; fomentumve per spatium temporis idem utendum

 est;

est; dein autem, cute prius bene exsiccata, parvulus, in panno laneo involutus, in lectum sese recipiat.

2. SANGUINIS DETRACTIO.

Sanguinem missum ad inflammationem comprimendam, periculumque ab aegroti capite arcendum optime valere, medicos vel paucos vel nullos, me judice, latet. Hunc attamen in finem tantum sanguinis detrahendum est, quantum morbi violentia postulet, aegrique vires tolerare posse videantur. In aegrotis robustis, sanguinis e brachio commode mittendus est, propterea quod copiam ad morbum debellandum necessariam rivo pleno, brevi detrahere chirurgum certius penes erit.

Sin autem vena brachii vix ac ne vix quidem pertundi possit (quod in infantibus, annos paucos natis saepissime accidit) venam jugularem externam ferire, chirurgus conetur oportet. Quin etiam, si chirurgus, operâ ad venas hasce feriendas data, successu careat, vel si aegrotus, seu naturâ, seu valetudine, seu unâ alterâque, vires fractus sit, hirudinibus decem duodecimve parti pectoris superiori applicatis, sanguis ad rationem debitam tuto

citoque

citoque educi potest. Partem sterni superiorem faucibus externis facile antefero, propterea quod, partem hancce causâ sanguinis fluxum compescendi, certius promptiusque comprimere possumus. Infantes etenim pressuram in partes laryngi vicinas aegerrime ferunt; metusque igitur foret, ne sanguinis plus justo educeretur, nisi si partes rite comprimerentur.

3. EMETICA.

Sanguine modis hisce diversis rite detracto, emeticum e pulvere radicis cephaëlis ipecacuanhae, tartratisque antimonii, dose debita, causâ vomitionem plenam excitandi, statim adhibeatur. Remedii etenim hujusce viribus, mucus viscidus ejicitur copiosius, et trachea bronchiisque hoc modo expurgatis, aegrotanti tenero, mirum in modum saepius succurritur; usuque vomitionis post sanguinem missum, in hoc stadio morbi, remediis aliis nullis in auxilium vocatis, malo interdum subito prorsus medetur. Quinimo, pectore hoc modo bene depleto, emeticum diaphoretici munus summo cum commodo haud raro praestat. Hinc ratio patet quare, emetico votis medici prima vice parum respondente, dyspnoea nimirum tussi-

que

que mitigationem haud rite subeuntibus, medicamentum repeti adducor ut suadeam.

Phlebotomia, et detractione sanguinis locali, balneo calido emeticisque rite adhibitis, at votis medici parum respondentibus, morboque vel mitigationem nullam subeunte, vel acrius etiam urgente, ad usum catharticorum mercurialium statim decurrendum est.

4. CATHARTICA MERCURIALIA.

In Cynanche Tracheali sananda, hydrargyrus munus quoddam proprium praestare, viresque quasdam singulares in hunc morbum exercere videtur. Submurias igitur hydrargyri, dosibus debitis, adhibeatur, dosisque eadem omni hora repetatur oportet, usque dum anima facilius reddatur; anhelitu veruntamen allevationem clare subeunte, remedium sensim intermittendum est; horis scilicet duabus primum, dein tribus, denique quatuor, pro re nata signorumque violentiâ, inter doses singulas adhibendas, interpositis.

Remedium de quo agimus, munere cathartici, plerisque in casibus optime fungitur; materiaeque

riaeque colore virente praeditae multitudine, per anum dejecta, aegritudinis levatio in Cynanche Tracheali vera primo observatur. Sin autem species morbi notha urgeat, anhelitus, catharse superveniente, saepius ne semper quidem mitigatur.

Quod ad dosis sub muriatis hydrargyri molem quidem pertinet, ratio ad aegri aetatem viresque habeatur oportet. Infantibus annum unum natis granum unum; annos duos grana duo cum semisse; annos tres quatuorve grana tria; annos autem quinque vel sex grana quatuor quinqueve praescribenda sunt, submurias aut forma pulveris, sacchari purissimi pauxillo, aut uvarum corinthecarum, gelatinâ aut melle, theriacâ, aut panadâ, jusculo nimirum pane, aquâ, saccharoque confecto, pulmento, vehiculove quovis alio, admistus sorbeatur.

5. VESICATORIA.

Emplastrum amplum vesicatorium ad partem superiorem sterni vel nucham colli debet imponi. Quin et, fomenta calida vel linamenta, ex opio camphoraque confecta ad fauces externas adhibere liceat.

II. In

II. In stadiis morbi hujusce provectioribus, ratio ad consilia medendi diversa habeatur oportet: actionem membranae mucosae plus justo auctam, et deminuere et corrigere, medicus, pariter ac in gradu affectus primo, niti debet, eaque de causa, medicamenta quae in hunc affectum valent, neutiquam omittenda sunt. Sanguinis sero effuso, aut aegri amicorum incuriâ, aut medicinae impotentiâ, in tubum ex corio confectum perperam concreto, tubus hicce ex aspera arteriae ejiciendus est, ne animae officiat, faucibusque aegro male oblidat. Hinc ratio patet quamobrem, in hoc statu rerum, auxilium ex usu emeticorum iterum commode petendum est.

1. EMETICA.

In hoc morbo sanando, stadio morbi secundo haud aliter ac in stadio primo, ad usum emeticorum, summo cum commodo, saepius confugiendum est. Aegrotantis amici ab hoc remedio saepius male abhorrent, medicique conatibus aegerrime favent. Homines etenim haud pauci vomitoriorum medicamentorum usurpationem, in stadio morbi extremo, injuste pueriliterque aversantur, illique aegrotati lectum circumstantes, vetulae

utpote

utpote, et rudes et ignarae hoc obfirmatissimum habent, ne parvulus, illis judicibus, moribundus incassum torqueretur. Hinc ratio patet quare, medicus, emeticis adhibitis, et modum eorum operandi adstantibus sedulo aperiat, et, aegri amicis de medicaminis effectibus diligentissime interrogatis, fiduciam eorum excitet oportet.

Tartratis antimonii semigranum in cochleari aquae magno solutum, infanti annos duos nato, omni quadrante horae usque dum, et nausea et vomitus cieantur, horisque duabus, post vomitionem peractam, praeteritis, medicamentum pro aegri viribus repetatur oportet.

Verumenimvero, causâ votum certius consequendi, medicus dosin solutionis pleniorem, hac secunda vice, adhibere saepius necesse habebit. Ventriculus etenim, stadiis morbi provectioribus potissimum, interdum adeo torpet, ut grana tartratis antimonii quatuor vel etiam quinque vomitionibus nullis concitatis, parvulus sorpserit. Vomitionem in hoc morbo, frequentius summa cum difficultate

difficultate cieri, scriptores medicos diversos testes idoneos habemus.

2. EXPECTORANTIA.

Quod ad expectorantia quidem attinet, in stadiis morbi hujus extremis, vix ac ne vix quidem, nisi si causâ corium nothum expellendi adhibita, e re aegri erunt; vapores autem aquae ferventis, cum acido acetico commistae, ope MUDGII inhalatoris hausti, ad hunc affectum obtinendum, plus minusve valere possunt.

Porro, in membranae tracheae mucosae affectibus, scriptores medici quidam vapores medicatos alios nobis, de meliore nota, commendavere; in Cynanche autem Tracheali sananda vapores ejusmodi inhalati spes nostras adhuc corripuerunt.*

Insuper,

* In Cynanche Tracheali medenda, medicus Gallicus quidam sulphuretum potassae miris laudibus nuper praedicavit; viresque quasi specificas in hoc remedio inesse strenuissime contendit, et seipsum et patrem suum, complures per annos, eventu semper felice, morbo potissimum ineunte, ad sulphureti potassae usum confugisse, medicus hicce nos certiores facit. Sulphuretum potassae dosibus a granis sex ad decem, melle, vehiculove quovis alio, adhibitum, et vespere et mane, usque dum signa mitigationem subiissent, in auxilium vocatum fuisse nos rite docet. Symptomatis atta-

Insuper, siquando remedia medicamentaque omnia de quibus mentionem supra fecimus, spem medici destituerint, irritaque prorsus evaserint, viaque nec non aegroti miserandi animae fere praefoceretur, medici scriptores ad laryngotomiam, modo quo per fistulam immissam aegrum spiritum trahere penes sit, quasi ad remedium ultimum extremumque confugere nos rite docent.

Denique sunt et alii qui Tracheotomiam etiam suadent: quod vero ad hanc operationem attinet, etiamsi in discrimine rerum extremo, omnes vias persequi liceat, ante de salute aegri quam spes prorsus abjicienda est; vereor sane, ut aspera arteria perforata, aeger noster omnino deplorandus Orci faucibus eripi possit. Foramine etiam facto, membrana aliena faciem trachiae internam pessime investiens, fonsque malorum praecipuus jure habenda, vix ac ne vix quidem extrahi potest, reque hacce infecta, tracheotomia, opera procul dubio gravis, ne omnino quidem, me judice, aegro misere moribundo proderit.

 Si

men levamen optandum subeuntibus, dosis molem rite diminuit, finemque morbi versus, remedium mane solummodo praescripsit. Quin et, se in remedio hocce utendo rationem, non ad aegri aetatem, at potius ad signorum violentiam habuisse, affirmat.

Si aeger usu horum diversorum remediorum morti ereptus fuerit, causâ vires ejus violentiâ diuturnitateque morbi fractas restituendi, ad cardiaca tonicaque solita; vinum utique aquâ rite dilutum, medicus confugiat oportet. Quin etiam, aegroto e morbo feliciter convalescente, virium redintegratio quas non solum mali violentia, sed et etiam curatio ipsa, haud parum prostravere, medici attentionem summam sibi jure vindicat, eaque de causa, dietam nutrientem levem concoctuque facilem; cinchonae officinalis corticem; praeparata e ferro quaedam; exercitationem levem, vestitumque ad halitum per cutem eliciendum idoneum, in auxilium vocare debet. Frigus praeterea causasque morbi remotas omnes alias, summa cum cura parvulus evitet.

Haec igitur sunt, quae de Cynanche Tracheali dicenda habui; multa, immo perplurima, disputatione digna expendenda superesse, facile agnosco; de his attamen nec dissertationis hujusce limites, nec quidem ingenii vires, in me revera perexiguae, fusius disserere permittunt.

FINIS.